

8°. Nemo ad gradus promoueri, aut beneficio [uti] potest.

54, f. 147.

Ab hoc seruitutis iugo liberari posse Cattolicos putant nonnulli, idque zelo ut putant bono, armorum vi et Principum potentia, idque per multos annos continuos successibus non ita felicibus pertentantur aliisque omnibus qui de medijs alijs magis pacificis cogitant, omnem fidem et authoritatem detrahunt; idque agunt sedulo ut omnis illis aditus ad eorum aures quibus incumbit hisce rebus prouidere intercludatur.

1<sup>mo</sup> Igitur illud sedulo docent et inculcant nullam aliam spem, nullam salutem reliquam esse Catt<sup>olis</sup>, nisi quam in Catholici Regis potentia et beneuolentia sitam predicant.

2<sup>do</sup> Spargunt rumores, et infames, suspectos et inuisos reddunt ubique omnes qui aliter de causa communi iuuanda sentiunt.

Propositum itaque nostrum est sine ulla Catt<sup>oli</sup> Regis iniuria S<sup>ua</sup> ostendere primo non esse abbreviatam manum D<sup>ni</sup>, mediaque alia posse inueniri quibus fides Catt<sup>ola</sup> promoueri poterit sine tanta sanguinis effusione.

3<sup>io</sup> Media illa quæ hactenus per arma tentata fuerint plus Catt<sup>olis</sup> obfuisse quam profuisse; quarum rationum capita Regis Christ<sup>mi</sup> orator S. V. uel uerbo uel scriptis exhibebit.

54, f. 147b.

23. *Considerationes quedam S<sup>mo</sup> proponendæ pro Pace Stabilienda in Ecclesia Anglicana.*

Post examen grauissimum, eorum quæ exhibuimus contra modum procedendi Archipresbiteri, et incommodorum ipsius Subordinationis, fratres nostri iudicio et considerat<sup>ni</sup> S<sup>ua</sup> relinquunt, vtrum ordinaria Episcoporum Hierarchia afflictissimis rebus nostris magis conueniat; minusque in se incommodi et periculi habeat quam ista de quo modo agitur Prelatura.

1. Verum cum tanti negotii momentum non poterit sine iusto examine, longo tempore, et debita omnium circumstantiarum trutina concludi, ut paci et tranquillitati interim prouideatur, faceret proculdubio Sua Sanctitas iudicio nostro rem omnibus gratissimam,

si in Regione tam ampla et Provincijs distincta duos institueret syndicos, seu uisitatores, unum in parte Boreali, et in Australi alterum, ad quos in rebus dubijs fiat recursus et appellandi libertas, ne ad Romanam Curiam in tantis rerum difficultatibus pro dirimendis singulis controversijs cogantur refugere.

2. Deinde ut quinque aut sex Archipb'ri in Regno Angliæ instituantur, duo in parte Boreali, et Meridionali tres, sextus in Vvalla et confinibus, atque his singulis adiungant duo Assistentes. Horum autem [scilicet] auctoritas quousque se extendat si sua Sanctitas declarare dignetur (ut singuli intelligant in quibus obedire teneantur) ad pacis et concordiaë perpetuitatem multum afferret adiumenti. 54, f. 148.

3. Nominatis Sanct<sup>mo</sup> uiginti ex senioribus et doctioribus sacerdotibus, qui nec uoto nec proposito sint Religiosi regulares, uel a [seculari] clero in Anglia, uel à Procuratoribus utriusque partis qui modo in urbe sunt, ab his decem, ab illis alijs decem, poterit omnium applausu sua Sanctitas octo eligere qui, modo quo diximus, Catholicis omnibus in Anglia præficientur, donec de ord[inatione] Ecclesiae quam temporibus nostris magis conuenire putamus [matur]ius fuerit deliberatum.

4. Hoc autem et Patribus Societatis perhonorificum et ad inuidiam declinandam et ad conciliandam beneuolentiam peropportunum, et denique ad omnes contentionum et æmulationum radices extirpandas necessarium foret existimamus, si P'res Societatis præcipuè Angli, directè aut indirectè uerbo uel scripto, Secularium Sacerdotum negotijs se immiscere prohibeantur, talibusque electionibus, nec consilio nec auxilio, clàm nec palàm, domi nec foris ullo modo se implicare.

5. Prouinciarum etiam distinctio pari modo poterit fieri ab Ill<sup>ms</sup> Car'libus à sua Sanctitate deputatis in hoc opus, consultis prius utriusque partis procuratoribus.

6. Videtur etiam (saluo meliori iudicio) conueniens ut auctoritas omnis dicta sit annalis aut ad summum triennalis, deinde alij per sacerdotes earumdem prouinciarum eligantur in quibus ipsos 54, f. 148b.

presidere oportet nisi forsán ijdem Sacerdotes [in talibus personis] continuandam duxerint auctoritatem.

7. Conuenire etiam uidetur ut neminem de crimine aliquo, nisi prius citatum et legitime conuictum, condemnent.

8. Deinde ut nulli habeant potestatem reuocandi à quoquam Sacerdote facultates (quæ illi . . .)<sup>a</sup> sed solum eas suspendendi, nisi ex culpa grauissima . . . magnum aliquod oriatur scandalum, et reus incorrigibilis inueniatur. Causa autem integra ad uisitatorem deferatur qui, cum duobus Archipresb'ris re communicata, faciat quod pro bono communi maior pars magis expedire in D'no iudicauerit.

9. Nec à residentijs remouendi sacerdotes sit illis liberum nisi grauiss<sup>a</sup> de causa legitimè discussa et probata, quod et fiat quantum fieri potest cum consensu Catholicorum Dominorum à quibus sunt remouendi.

x. Ad uisitatores fiant appellationes ubi inter Archipresbiterum et suos sacerdotes aliqua intercedit controuersia, penes quos erit admouere, dirigere, et corrigere ipsos Archipresbiteros, suspendendo eorum auctoritatem si quando ab ijs erratum fuerit, et si sé iudicio Superiorum noluerint submittere, ipsorum etiam erit inter Archipb'ros ullo modo inter se dissidentes lites componere.<sup>b</sup>

xi. Conueniat ut leges nemo ferat aut promulget decreta, quæ in conscientia obligent, nisi communi Archib'rum et sacerdotum illi subditorum maioris partis consensu, præsideute visitatore illius Prouinciæ; sic autem conditæ leges, prius confirmentur à sede Apostolica qua uim obligandi habeant.

xij. Solet ex piorum eleemosinis sacerdotum et laicorum in Anglia incarcerationum, et qui extra carceres fuerunt necessitatibus . . . satisfieri: solet tanta copia ex superfluis per annos singulos transmitti in partes transmarinas quæ sufficeret ad

<sup>a</sup> The MS. torn.

<sup>b</sup> Folio 148 is much damaged and discoloured on both sides. Folio 158, which comes immediately after, has also suffered. The marginal note, *Second Cahier*, etc., is in the same hand as that on folio 112b (*supra*, p. 65).

*Second cahier  
faict à Rome  
le 4 nouëbre  
1602.*

54, f. 158.

nutriendos 140 et amplius alumnos in Collegio Rhemensi, relictis 60 qui ex pensione summi Pontificis et Regis Hispaniæ nutrirentur. At uero ex quo Jesuitæ quidam in Anglia cum Archipresbitero rerum administratione potiti sunt, licet ampliores quam olim a Catholicis donatæ fuerint eleemosinæ (nam præter munitiones omnes et secretiores contributiones quadriennio hoc proximè elapso quadraginta uel quinquaginta millia aureorum per summas integras in ipsorum potestatem sciuntur distribuenda deuenisse) cum hæ omnes disparuerunt prorsus, cum maxima hominum admiratione et scandalo, incarcerati et pauperes Catholici grauissima rerum inopia laborarunt, et Collegium illud antea celeberrimum nunc in eas redactum est angustias ut, extrusis prelectoribus, 54, f. 158b. quadraginta tantum Alumnorum egenissimorum seminarium relinquatur. Cum igitur de eleemosinarum distributione grauissimæ sepe numero ortæ sunt lites, eoque nomine Patres Societatis in Anglia pessimè audierunt, uisitoribus cura et specialis sollicitudo incumbat incarceratorum et pauperum Catholicorum omnium. Et propterea omnes tam Religiosi quam Archipresbiteri teneantur eis rationes reddere eleemosinarum collectarum acceptarum in pios usus, ut omnibus, prout eorum [necess]itas postulauerit, prouideatur. Archipresbiteri autem et visitatores, qui in Prouincijs opulentioribus ubi largiores eleemosinæ dantur residebunt, teneantur, quantum commodè fieri poterit, subuenire necessitatibus eorum Catholicorum qui in locis egentioribus uictitant.

xij. Conuenit preterea ut omnes sacerdotes Archipresb'ro suo, Archipresb'ri uisitoribus, uisitatores cum ab officio recedant suis successoribus rationem reddant eleemosinarum et collectarum in pios vsus acceptarum, ut prouideatur singulis et malarum suspicionum et querelarum occasiones tollantur. In quibus tamen uoluntas Datoris, quantum fieri poterit, obseruetur.

xiv. Omnes sacerdotes quamdiu in aliena prouincia manebunt Archipresbitero eiusdem Prouinciæ subiecti censebuntur. Si autem quis ad declinandum Archipresbiterum suum in causa aliqua ad alienam prouinciam se confert, cognitio eius causæ et

54, . 159.

sententia non ad alios quam ad suum Archipresbiterum et visitatorem spectabit, et ipse ad superiores suos redire omnibus modis cogatur. Quod similiter observandum putamus in Archipresbiteris respectu visitorum suorum.

24. *Responsum ad Considerationes quasdam à presbiteris appellanti-  
tibus S<sup>mo</sup> D. N. propositas pro Pace Stabilienda in Eccl. Anglicana.*

Cum alio iam scripto, separatim Ill<sup>ms</sup> DD. VV. exhibito,\* ostenderimus qualemcunque tandem presentis Regiminis ac Subordinationis mutationem grauissimis incommodis periculisque obnoxiam esse: hoc iam scripto hanc ab istis excogitatam propositamque noui regiminis ecclesiastici formam omnium maxima habere incommoda ostensuri sumus. Si enim res tota accurate perpendatur, facile apparebit illam quemadmodum precipua quadam ambitione ab initio ortum habuit, ita eandem semper esse futuram inquietudinis deinde perpetuæ ac maximæ causam, contentiones interminatas ac litigia prosemnaturam, presbiterorum mentes ab animarum cura ad alia auocaturam, eorundem corpora personasque plurimis periculis ac hereticorum insidijs exposituram, in causam futuram, ut cessent nobilium laicorum eleemosynæ à quibus suppeditari deberent quæ sunt ad uictum uitamque necessaria; denique multa in se continere, non modo absurda, sed considerato rerum nostrarum presente statu in praxi planè impossibilia.

54, f. 159b.

Hæc ubi ostenderimus facili uidebunt Ill<sup>mæ</sup> DD. VV. quam sit futurum ab auctoritate ac Sedis Apostolicæ maiestate alienum si quæ iam sunt præclarè constituta ac breuibus apostolicis confirmata, ea ad paucorum [im]portunitatem conuellantur ac dissipentur, præsertim . . . hac presenti subordinatione ex quorundam hominum turbatione nata sunt incommoda, ea facilè sit una uel altera à Sanct<sup>mo</sup> facta declaratione penitus de medio tollere, ut alio iam scripto ostensum est. Atque ut de singulis pauca dicamus.

\* Perhaps the Memorial, of which a long extract is printed by Tierney, iii. p. clxxii. Cf. also p. clxxiv.